



**Universitätsbibliothek Mannheim**

**M. T. Ciceronis Pro Caio Rabirio perduellionis reo oratio**

**Cicero, Marcus Tullius**

**Lutetiae, 1551**

**urn:nbn:de:bsz:180-digad-9781**

❧ M. T. C I C E R O N I S P R O  
Caio Rabirio perduellionis reo Oratio,

Petri Rami Regij Eloquentiæ & Philosophiæ  
professoris prælectionibus illustrata.



L V T E T I A E,

❧ *Ex typographia Marthæi Dauidis, via  
amygdalina, ad Veritatis insigne.*

1 5 5 1.





CAROLO LOTHARINGO  
Cardinali Petrus Ramus Eloquētia & Philosophiæ  
Regius professor S.



DIFFICILE mihi fuit (Mecænas) scriptis rationibus opinionē multas iam seculis inueteratā ex animis hominum euellere, Dialecticam in oratoribus non perinde vt Grammaticā perpetuā inesse. Iam verò ex ampliore atque altiore suggesto, tua singulari gratia nobis instituto, dum quotidie viua voce veluti cōcionātes, Dialecticæ verum vsū in veris & naturalibus exemplis, in vera exēplorum imitatione & exercitatione, totoque artis eius fructu docemus, mirabilem & audiendi & discendi cupiditatē nostris hominibus attulimus. Ergo cū primum specimen in hac pro Rabirio perduellionis reo Ciceronis oratione dedissem, & singulas partes vt Latinis dictionibus, vt Latina dictionum constructione: sic rerum sententiarūque inuentione & dispositione contextas & continuatas demonstraſsem, populū nostrum admonui, cū in oratoribus dialecticā non minus quā grammaticam perpetuam cōspiceret, tandem aliquando dialecticam in oratoribus esse crederet, veterēque illum vanæ opinionis errorē deponeret: nec existimaret inuentionem hāc & dispositionem dialecticæ non esse, ad rhetoras duntaxat attinere, tanquam aliò logica Aristotelici organi dogmata spectarēt. Nec enim alios in Ari-

a. ij.



stotelis Logica argumentorum locos, vel syllogismorum modos exponi, quàm in inuentione Ciceronis & collocatione deſaranda ſequeremur, quin connexorum & diſiunctorum ſyllogiſmorum & vniuerſam methodi artem hìc oſtenderemus, quam Ariſtotelis organiũ non attingiſſet. Hęc, inquam, populum noſtrum docui & admonui. Ac iam ſi quis dixerit multa in Dialecticis Ariſtotelis contineri, quorum nullus ſit uſus in oratoribus, nil repugnabo: addam etiam eorundem nullum omnino humanum uſum inueniri: nec idcirco tamen oratores, non dialecticos eſſe fatebor, ſed Ariſtotelica illa Dialecticę nil eſſe profitebor, quia nec ex uero uſu deſumpta ſint, nec ad uerum uſum referri poſſint: Ariſtotelēque ſemper affirmabo abundantiffimo ingenio hominem fuiſſe, qui cùm multa à Platone Dialecticę theoremata didicerit de rota & inuentione & methodo, iis tamen non cõtentus, Dialectici auri pretioſiſſimã quandam fodinam per ſe quaſierit, multa effoderit & cumularit: ſed aurum illud argento, ære, plumbo, lapidibus, ſpinis, terra denique inutili obrutum reliquerit, in fornacem non coniecerit, nec igne veri & naturalis uſus approbauerit, nec omnino diſtinxerit, ut in Ariſtotelicis animaduerſionibus doceo. Quę monita qui noſtrum in hac arte ſtadium reprehendunt, nunquam audierunt, ſed (quaſi Syrenum cantus formidarent) obturatis auribus præterierunt. Tales enim ſunt reprehentiones aduerſus nos editę, ut cacos de pictura, aut ſurdos de muſica credas contendere, dum clamant alatas



potius in aëre balenas, quàm dialecticam in oratoribus  
se visuros esse. Verùm spero tempus illud breui futurũ,  
vt hi cæci, surdique videant & audiant, valdeque mi-  
rentur principes & rectores hominũ, nõ homines, id est  
oratores, non dialecticos, non rationales animantes &  
logicos sibi visos esse. Quamobrem (Mecænas) in ora-  
toribus vt grãmaticam, sic dialecticam perpetuam esse,  
hæc oratio primũ, deinde Consulares Ciceronis reli-  
quæ, vt spero, persuadebunt, gratiãque tibi tantorum  
bonorum principi atque authori debitam vindicabunt.

a. iij.



ARGUMENTVM.

L. Apuleius Saturninus, de quo *Liuius* lib. 69. & *Plinius* in eius Vita, & *Appianus* primo bellorum ciuilium, tertium tribu. pleb. factus, vt *Glauciam* satellitem suum Praetorem (vt *Plinius* ait) vel potius Consulem (vt *Liuius* indicat) faceret, *Memmium* Consulare candidatum interemit. Consules igitur ex S.C. armati Saturninum aggrediuntur, & in Capitolium cum *Glaucia*, *Saufeio*, *L. AEquitio*, *Q. Labieno* fugientem persequuntur, vnde cum fide publica descendisset in curiam, vt ciuili more caussa tractaretur, ipse lapidibus obrutus est, *Glaucia* fracta ceruix est, *Labienus* caesus. Caput Saturnini *Rabirius* in ludibrium per conuiuia circuntulit. Anno autem quadragesimo post illam caedem, vt *Cic.* in *Pisonē* author est, *Cæsar*, vt ait *Suetonius*, & constat ex hac oratione, subornauit *T. Labienum*, qui *C. Rabirio* perduellionis die diceret, quo præcipuo adiutore aliquot ante annos *Lucij* Saturnini seditiosum *Tribunatu* Senatus coercuerat: ac sorte iudex in reum ductus tam cupidè cõdemnauit, vt ad populum prouocanti nihil æque ac iudicis acerbitas profuerit. Damnatu*s* *Rabirius* prouocat ad populum: oratores duo summi defenderunt: *Hortensius* prior defendit à *Rabirio* Saturninum non esse occisum, vt constat ex hac oratione: *Cicero* qualitatem tam magnificè disputauit, vt & prudentis Consulis & eloquentis Oratoris laudem ex hac oratione sibi ipse sumpsit. Ego in *C. Rabirio* perduellionis reo 40. annis ante me Cos. interpositam Senatus auctoritatem sustinui contra inuidiam atque defendi, ait de consulatus sui laudibus in *Pisonem*. Ius omne retinendæ maiestatis *Rabirij* caussa continebatur: Ergo in omni genere amplificatio*n*is exarsimus, ait in oratore. Prudentia autem hæc ex inuentione & dispositione dialectica, sicut eloquentia ex elocutione rhetorica in partibus singulis, & ex summa rãdem partium subductione percipietur.





M. T. CICERONIS PRO C. RABIRIO perduellionis reo, ad Quirites Oratio.

**E**TSI Quirites, non est meæ consuetudinis initio dicendi rationem reddere, qua de causa quæque defendam, propterea quòd cum omnibus ciuibus in eorum periculis semper satis iustā mihi causam necessitudinis esse duxi: tamen in hac defensione capitis, famæ, fortunarúmque omnium C. Rabirij, proponenda ratio videtur esse officij mei: propterea quòd quæ iustissima mihi causa ad hunc defendendum esse visa est, eadem vobis ad absoluendū debet videri. Nam me cum amicitia vetustas, tum dignitas hominis, tum ratio humanitatis, tum meæ vitæ perpetua consuetudo, ad C. Rabirium defendendum est adhortata. tum verò vt id studiosissimè facerem, salus Reip. consulare officium, Cōsulatus denique ipse mihi vnà vobiscum cum salute Reip. commendatus, coëgit. Non enim C. Rabirium culpa dilecti, non inuidia, vitæque turpitude, non denique veteres, iustæ, grauésque inimicitia ciuium, in discrimen ca-

a.iiij.



pitius vocauerunt, sed vt illud summum auxilium maiestatis atque imperii, quod nobis à maioribus est traditum, de Rep. tolleretur: vt nihil posthac authoritas Senatus, nihil consulare imperium, nihil consensio bonorum contra pestem ac perniciem ciuitatis valeret: idcirco in his rebus euerendis vnus hominis senectus, infirmitas solitudoque tentata est.

*Perduellio.*

Perduellis, qui proprio nomine dicebatur apud veteres, is postea vocatus est hostis, lenitate verbi tristitiam rei mitigante: Hostis enim apud veteres dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus, vt Cicero in Officiis. Hoc verbo Plautus saepe vitur, Teleboarum perduellis. Et alibi, Perduelles penetrant se in fugam. Et Liuius secundo bello Punico ait saluos incolumésque victis perduellis victores. Ergo à perduellis, perduellio crimen hominis in Remp. hostiliter animati dictum est. In Iulia lege, videtur perduellio species esse imminentis maiestatis. Grammatici perduellionem etiam perduellem vocant: exemplum nullum proferunt, neque dum ipse animaduerti.

Exordium iudicii quaestionem summam proponit, absoluendum esse Rabirium: & ex adiunctis personae & causae ita concludit,

*Quibus causis Cicero mouetur ad defendendum Rabirium, isdem Quirites moueri debent ad absoluendum.*

*Cicero mouetur amicitia, dignitate, humanitate, consuetudine, sed praecipue salute Reipub. officio consulari.*

*Isdem itaque moueantur Quirites ad absoluendum.*

*Etsi*) Dissimilitudo propositioni praepositur. Etsi defensionis rationem reddere non soleo, tamen hanc reddam.

*Rationem reddere*) Reddidit tamen pro Roscio, in Verrē, & postea pro Muræna, Flacco, Sylla, & aliis. *Capitis*) Sic pro Quintio, Ego qui caput alterius, famam, fortunamque defendo: & in proxima pagina idem iterabitur. Quintilianus autem in compositione de crescentis huius orationis compositionem reprehendit: sed inepte, cum ad compositionem id nil attineat. Fama autem hoc loco signifi-



cat, quod vulgò dicimus honorē, vt qui eam amittant sint infames.

*Propterea*) Syllogismi propositio hęc est, *Quæ* causa me cōmouit ad defendendum, eadem vos commouere debet ad absoluēdum.

*Nam cū me*) Sententia assumptionis, in qua numerantur causæ Ciceronem commouentes ad hanc defensionem: quarum postrema de salute Reip. præcipua est. *Non enim*) Confirmatur postrema pars assumptionis de Reipub. salute, ex maiestatis imminutione, quæ hęc accusatori tanquam finis proponitur. *Maiestas*) Politia (inquit Aristoteles tertio politico) est ordo ciuitatis cū aliorum magistratuum, tum præcipue summi summæque rerum præpositi, qualis tēpore Ciceronis Regia fuit in Cōs. Aristocratica in Senatoribus, Timocratia in vniuerso populo. Hęc ciuitatis ordinationē Cicero maiestatē hęc appellat, & tribus illis partibus definit, Consulari imperio, autoritate Senatus, consensione bonorum. Ouidius quinto Factorū maiestatem poëtice quidē, sed valde magnificè describit,

*Post chaos vt primum data sunt tria corpora mundo,*

*Inque nouas species omne recessit opus:*

*Pondere terra suo subsedit, & æquora traxit:*

*At cælum lenitas in loca summa tulit.*

*Sol quoque cum stellis nulla grauitate retentus,*

*Et vos lunares exluistis equi.*

*Sed neque terra diu cælo, neque cætera Phœbo*

*Sydera cedebant: par erat omnis honor.*

*Sæpe aliquis solio, quod tu Saturne, tenebas,*

*Ausus de media plebe sedere deus.*

*Et latus Oceano quisquam deus aduena iunxit:*

*Tethys & extremo sæpe recepta loco est.*

*Donec honor, placidoque decens reuerentia vultu*

*Corpora legitimis imposuere thoris.*

*Hinc sata maiestas, quæ mundum temperat omnem,*

*Quæque die partu est edita, magna fuit.*

*Nec mora, confedit medio sublimis Olympo*

*Aurea purpureo conspicienda sinu.*

*Confedere simul pudor & metus, omne videres*

*Numen ad hanc vultus composuisse suos.*

*Cicero igitur maiestatem queritur Rabirii damnatione violari:*



quia damnetur is qui tali politia & ciuitatis ordinationi paruerit.

*Solitudo*) Vt solus homo dicitur, sic solitudo hominis. Solus interdum dicitur, qui amicis destitutus est: sic hominis solitudo, eiusmodi destitutio: quomodo Cicero ait Actione tertia, patres viuos liberis cosulere, vt illorū solitudo ac pueritia quàm firmissimo praesidio munita sit.

2 Quamobrem si est boni Cōsulis, cū cuncta auxilia Reipublicae labefactari cōuellique videat, ferre opem patriae, succurrere saluti fortunisque communibus, implorare ciuium fidem, suam salutem posteriore salute cōmuni ducere: est etiam bonorum & fortium ciuium, quales vos omnibus Reip. temporibus extitistis, intercludere omnes seditionum vias, munire praesidia Reipublicae, summum in Consulibus imperium, summum in Senatu consilium putare: ea qui secutus sit, laude potius & honore, quàm pœna & supplicio dignum iudicari. Quamobrem labor in hoc defendendo praecipue meus est: studium verò conseruandi hominis cōmune mihi vobiscum esse debet. Sic enim existimare debetis Quirites, post hominum memoriam rem nullam maiorem, magis periculofam, magis ab omnibus vobis prouidendam, neque à Tribun. pleb. susceptam, neque à Consule defensam, neque ad populum Romanum esse delatam. Agitur enim nihil aliud in hac causa Quirites, quàm vt nullū sit posthac in Reipublica publicum consilium, nulla bonorum consensus contra improborum furorem & audaciam,



nullum extremis Reipublicæ temporibus perfugium & præsidium salutis. Quæ cum ita sint, primum, quod in tanta dimicatione capitis, famæ, fortunarumque omnium fieri necesse est, ab Ioue Optimo, Maximo, ceterisque diis deabusque immortalibus, quorum ope & auxilio multo magis hæc Respublica, quam ratione hominum & consilio gubernatur, pacem ac veniam peto: precorque ab iis, ut hodiernum diem & ad huius salutem conferuandam, & ad Rempublicam constituendam, illuxisse patiantur. Deinde vos Quirites, quorum potestas proximè ad deorum immortalium numen accedit, oro, atque obsecro, quoniã vno tempore vita Caij Rabirij hominis miserimi atque innocentissimi, salus Reipub. vestris manibus suffragiisque permittitur, adhibeatis in hominis fortunis misericordiam, in Reipublicæ salute sapientiam, quam soletis.

*Quamobrem*) Complexio syllogismi amplificata per quandam definitionem boni Consulis, & bonorum ciuium, ex eorum factis collectam. *Bonorum ciuium*) Ciuitas significat aliquando vrbis locum, aliquando frequentiam hominum eiusdem vrbis incolarum, aliquando ciuium multitudinem & politiam ipsam. Hinc ciuis, qui sic est politiæ particeps, ut in ea magistratum gerat, aut certè gerendi ius habeat: nec ciuis bonus bonitate morali definiendus, sed studio conferuandæ politiæ & ciuitatis: ut bonus remex, nauta, proretdicatur, etiam si sit improbissimus pirata. Vide Aristo. tertio Politico. Sic ad Lentulum Cicero loquitur, cum ait, *Quem bonum ciuem semper habuisset, eundem bonum virum esse pateretur.*

*Intercludere*) Allegoria est à bello, vbi aduersus hostes ciuitas fossis, præfidiis, rebûsque aliis munitur. *Quamobrem*) Iteratur com-



plexio syllogismi, addita officiorum Ciceronis & Quiritium dissimilitudine. *Sic enim*) Locus attentionis proprius ex adiuncta amplitudine & causæ & personarum. *Agitur*) Repetitur ratio assumptionis antè iam posita, de salute publica quæ hîc attentatur.

*Quæ cum ita sint*) Repetitur tertio loco sententia complexionis: sed imploratione & deprecatione variatur. Platonica autem & Demosthenica figura est, quam Cicero in Oratore deprecationem vocat. *Ioue*) Sed ipse Iuppiter, id est iuuans pater, quem conuersis ca sibus appellamus à iuuando Iouem, à poetis pater diuumque hominumque dicitur, à maioribus autem nostris optimus maximus: & quidem antè optimus, id est beneficentissimus, quàm maximus: quia maius est certèque gratius prodesse omnibus, quàm opes magnas habere. Cic. secundo de Natura deorum. *Pacem*) Pacem ac veniam petimus à diis, cum metuimus iratos, & nobis propitios esse postulamus: & pacem veniamque à diis petere, est eorum opem & auxilium implorare, quod per exclamationem dicitur, Prò deùm hominumque fidem! Sic pro Flacco Cicero dicit, in bellis gerendis à diis immortalibus pacem ac veniam petere: & Virgil. 3. Æneid.

*Hic Helenus cæsis primùm de more iuuenis*

*Pacem exorat diuum.*

*Et quarto,*

*Principio delubra aduent pacemque per aras*

*Exquirunt.* Quasi pacati dii sint etiam propitii.

*Deinde*) Conuertitur imploratio à diis ad Quirites, & absolutio Rabirii rursus cū salute Reip. cōiungitur. *Suffragiis*) Causa enim hæc agebatur ad populum, qui suffragiis suis dānabat vel absoluebat.

3 Nunc quoniā T. Labiene, diligētiae meæ, temporis angustiis obstitisti: meque ex comparato & constituto spatio defensionis, in semihoræ curriculum coegisti, parebitur, & quod iniquissimum est, accusatoris conditioni, & quod miserrimum, inimici potestati. Quāquam in hac præscriptione semihoræ, patroni mihi partes reliquisti, Consulis ademisti: propterea quòd ad defendendum propemodum fatis erit hoc mihi temporis, verū



ad conquerendum parum : nisi fortè de locis religiosis, ac delubris, quos ab hoc violatos esse dixisti, pluribus verbis tibi respondendum putas. Quo in crimine nihil est vnquam abs te dictum, nisi à C. Macro obiectum esse crimen id C. Rabirio. In quo ego demiror, meminisse te quid obiecerit C. Rabirio Macer inimicus, oblitum esse quid æqui & iurati iudices iudicarint. An de peculatu facto, an de tabulario incenso, longa oratio est exprimenda? quo in crimine propinquus C. Rabirij iudicio clarissimo C. Curtius pro virtute sua, est honestissimè liberatus: ipse verò Rabirius non modò in iudicium horum criminũ, sed ne in tenuissimam quidem suspicionem verbo est vnquam vocatus. An de sororis filio diligentius respondendum est, quem ab hoc necatũ esse dixisti, cùm ad iudicij moram familiaris funeris excusatio quæreretur? quid enim est tam verisimile, quàm chariorem huic sororis maritum, quàm sororis filium fuisse? atque ita chariorem, vt alter vita crudelissimè priuaretur, cùm alteri ad prolationem iudicii biduum quæreretur?

*Nunc quoniam*) Descendit ad contentionem causæ per apostrophen in accusatorem, de cuius facto conqueritur, quòd tam exiguum defensionis tempus præscripserit. *Angustius*) Allegoria est à ludis Curulibus, in quibus vt à carceribus ad metam spatium certum cursoribus definitum erat, sic in foro oratoribus certum tempus præscriptum, vt in causa Milonis accusatori horæ duæ, defensori tres, lege Pompeia. *Quanquam*) Hic methodus & dispositio orationis consideranda est. Proposita est adhuc summa quæstio, Ra



birius absolendus est, & significata defensionis ratio summa, quia Reipub. salus & autoritas id postulat: secundo loco tota causa distribuitur bifariam: ad patroni siquidem partes quinque, extra perduellionē, crimina referuntur, perduellio ad Cōsulis querimoniam.

*Nisi forte*) Refutatio primi criminis ex testimonio iudicū. *Locis religiosis*) Locos religiosos Catull. vocat sepulchreta, Christiani νομιστηρια. Lucus nemus erat religiosus locus aut delubris vicinū, & ferè numini alicui sacratū, quomodo ferè semper apud Virg. 1. *Æneid.* *Lucus in Vrbe fuit media, latissimus Umbra.* Et 6. *Æneid.*

*-lucis habitamus opacis.*

*Vnde etiam triniæ templo lucisque sacratis*

*Cornipedes arcentur equi.* Ergo sacrilegium ingens fuit locus religiosus & lucos violasse, cęsi rboribus prostratisque sepulchris. Simili de causa in Clodiū exclamat Cic. pro Mil. Vos Albani tumuli atque luci, vósque Albanorum obrutæ aræ, quas ille præceps amentia, cęsis, prostratisque sanctissimis lucis, substructionū infanis molibus opprefferat. *An de peculatu*) Refutatio secundi criminis ex simili testimonio, quod augetur collatione minorum. Absolutus est Curtius hui⁹ criminis reus, Rabirius ne suspectus quidē fuit. In hoc autē genere cōparationis negatio sæpe reticetur. (Nō modò in iudicium) intellige, nō modò non in iudiciū. *Peculatu*) Peculari est publicā pecuniam futari. Hinc peculator & peculatus, fur talis, & tale furtū.

*Tabulario*) Tabularium, in quo tabulæ, acta, literæ publicæ asseruantur. Virgilius secundo Georg. *-nec ferrea iura*

*Insanūmue forum aut populi tabularia vidit.* Erant autem multa in foro Romano eiusmodi tabularia, qualia hodie in foro Parisiensi videmus. *An de sororis*) Tertium crimen leuius refellitur ex adiunctis, quia verisimile non sit, inter propinquos leui de causa tantum facinus admitti. In ius autem vocari non oportet funus familiare ducentem, iustæ mortuo facientem, vt Vlpianus ait 2. Digesto. cap. de in ius vocando.

*Sororis filio*) Nepos ad auum refertur, fratris vel sororis filius Latinum nomen non habet.

4 An de seruis alienis contra legem Fabiam retentis, aut de ciuibus Romanis contra legem Porciam verberatis aut necatis, plura dicenda sunt? cū tanto studio C. Rabirius totius Apuliæ, sin-



gulari voluntate Campaniæ vicinitatis ornetur? cùmque ad eius propulsandũ periculum non modò homines, sed propè regiones ipsæ conuenerint, aliquanto etiam latius excitatæ, quàm ipsius vicinitatis nomen ac termini postulabant? Nam quid ego ad id longam orationem comparem? quod est in eadem multæ irrogatione præscriptum, hunc nec suæ, nec alienæ pudicitia pepercisse? Quinetiam suspicor eo mihi semihoram à Labieno præstitutam esse, vt ne plura de pudicitia dicerem. Ergo ad hæc crimina, quæ patroni diligentiam desiderant, intelligis mihi semihorã istam nimium longam fuisse: illam alteram partem de nece Saturnini nimis exiguam atque angustam esse voluisti, quæ non oratoris ingeniũ, sed Consulis auxilium implorat & flagitat. Nam de perduellionis iudicio, quod à me sublatum esse criminari soles, meum crimen est, non Rabi-rij. Quod vtinam Quirites, ego id aut primus, aut solus ex hac Repub. sustulisset: vtinam quod ille crimen esse vult, proprium testimonium meæ laudis esset. Quid enim optari potest, quod ego mallet, quàm me in Consulatu meo carnificem de foro, crucem de campo sustulisse? Sed ista laus primum est maiorum nostrorum Quirites, qui expulsis regibus, nullum in libero populo vestigium crudelitatis regiæ retinuerunt. Deinde multorum virorum fortium, qui vestram libertatem, non



16 P. R AMI PRAELE. IN ORAT. CIC.  
acerbitate suppliciorum infestam, sed lenitate le-  
gum munitam esse voluerunt.

*An de seruis*) Quartum crimen de plagio & vi facta, quod refel-  
litur publico & Apuliae & Campaniae testimonio.

*De seruis*) Qui seruos alienos sollicitat, vendit, emit, retinet, aut  
liberos pro seruis, plagiarius dicitur. Crimen, plagium. Vide legem  
Fauiam lib. Digest. 48. Hanc legem Cic. vocat hinc Fabiam. *Legem  
Porciam*) L. Valerius Cos. de prouocatione legem tulit diligentius  
sanctam: tertio ea post reges exactos lata est semper à familia eadem:  
causam renouandae sapius non aliam fuisse reor, quam quod pau-  
corum opes plus quam libertas plebis poterant. Porcia igitur lex so-  
la pro tergo ciuium lata videtur, quod graui poena si quis verberas-  
set, necassetue ciuem Rom. sanxit. Valeria lex cum eum qui prouo-  
casset, virgis caedi, securique necari vetuisset, si quis aduersus ea fe-  
cisset, nihil vltra quam improbe factum adiecit: id (qui pudor homi-  
num erat) visum credo satis validum vinculum legis. Nunc vix ser-  
uo ita minetur quisquam. Hac Lilius lib. 10. De hac lege paulo post  
plura Cicero ipse dicit. *Totius Apuliae*) Mos Romanis olim fuit  
reos publicis laudationibus comendare, & ea de re septima actione  
Cicero, Primum vt in iudiciis qui decem laudatores dare non po-  
test, honestius est ei nullum dare, quam illum quasi legitimum nu-  
merum consuetudinis non explere: & pro Cicerone ipso viginti mil-  
lia ciuium vestem mutauerunt, Senatus idem facere statuit. *Regio-  
nes ipsae*) Hac hyperbole vtitur in Pisonem, Cum mihi ipsa Roma  
propè conuulsa sedibus suis ad complectendum conseruatorem suum  
praecedere visa est, quae me ita accepit, vt non modo omnium gene-  
rum, ordinum omnes viri ac mulieres, omnis fortunae ac loci, sed  
etiam moenia ipsa viderentur & tecta vrbis ac templa laetari. *Ter-  
mini postulabant*) Sic rursus in hac oratione, Si nihil longius quam  
vitae termini postulabant. *Nam quid ego*) Postremum crimen de  
impudicitia leuiter elusum, in quo per emphasim quandam Labie-  
no contrarium repositum est, quasi Labienus ipse lepus sit & pulpa-  
mentum quaerat, ac ne de sua impudicitia audiret, Ciceroni tam bre-  
ue tempus praescripserit, quomodo secunda Philippica Cicero dixit  
in Antonium, Tu autem eo liberior es, quod ea in te admisisti, quae  
à verecundo inimico audire non posses. *Irrogatione*) Multam ir-  
rogare hinc actoris est, id est expetere talem multam ab aduersario.



Sic Liuius lib. 7. belli Maced. Centum millium multa irrogata erit. bis de ea re certatū est, & videtur idem esse irrogare & petere multam. Cic. pro Cluentio, Vno iudicio multa est ab eo perita. Nec multæ nomen ad pecuniariam pœnam duntaxat attinet, sed ad ignominiam, ad exilium, vt mox dicetur. Irrogare multam iudex dici potest, cūm dicat Horatius, Regula peccatis, quæ pœnas irrogat æquas. Et Vlpianus sic loquitur cūm ait, Pro modo delicti pœnam irroget: quanuis Budæus dicat irrogare multam, non esse iudicis multantis, sed actoris. *Ergo ad hæc crimina, quæ patroni, &c.* Concluditur primum membrum partitionis de criminibus extra perduellionem obiectis: quod quia facilius erat, præpositum videtur, vt secundæ partis minueretur inuidia: deinceps etiam digressio intertextitur de popularitate Ciceronis occasione valde probabili. Quod Labienus questus esset à Cicerone perduellionis iudiciū tolli, ideoque Ciceronem populo inimicum esse. Ergo locus tam plausibilis arripitur ad iratum populū mitigandum, qui ne iis quidem blandimentis ita conciliari potuit, quin obstreperet oratori, & reclamaret, vt mox patebit. Cicero facti & qualitate & inficiatione se primò tuetur, Si primus aut solus sustulsem, optatissimā rem egissem: At non sustuli. Propositio per optationem exprimitur. *Sed ista*) Assumptionis sententia. Sed non sustuli primus, quia maiores sustulere. Argumentum est à repugnantibus. *Regiæ*) Tullius Hostilius Romæ Duūuiros capitales instituit. postea modò Triumuiroi fuere, vt in cōiuratione Catilinæ docet Salustius, modò Duūuiroi (vt in hac caussa cōstat) vt autē tyrāni nomen odiosum factū est (quanuis omnē principem legibus non subditum etiā bonū significet) sic Romæ regis nomen post expulsos reges inuidiosum, & pro tyranno sæpe in orationibus Cic. rex dicitur: & nunc (regiæ) pro (tyrannicæ) dicitur.

*Infestam*) Pæsuiè hîc sumitur, vt pro Roscio, Filii vita infesta sæpe ferro atque insidiis petita.

5 Quamobrem vter nostrum tandem Labiene popularis est? tūne? qui ciuibus Romanis in concione ipsa carnificem, qui vincla adhiberi putas oportere? qui in campo Martio comitiis Centuriatis auspiciato in loco crucē ad ciuium supplicium defigi & cōstitui iubes? an ego? qui funestari

b.j.



concionem contagione carnificis veto : qui ex-  
 piandum forum pop. Ro. ab illis nefariis sceleris  
 vestigiis esse dico: qui castam concionem, sanctū  
 campum, inuiolatum corpus omnium ciuium  
 Ro. integrum ius libertatis defendo seruari oportere ?  
 Popularis verò Tribunus plebis custos, defensorque  
 iuris & libertatis . Portia lex virgas ab omnium  
 ciuium Ro. corpore amouit : hic misericors flagella  
 retulit . Portia lex libertatē ciuium licitori eripuit:  
 Labienus homo popularis carnifici tradidit. C. Gracchus  
 legem tulit, ne de capite ciuium Ro. iniussu vestro  
 iudicaretur: hic popularis à Duumuiris iniussu vestro,  
 non iudicari de ciue Ro. sed indicta causa ciuem Ro.  
 capitis condemnari coegit . Tu mihi etiam legis Portiæ,  
 tu C. Gracchi, tu horum libertatis, tu cuiusquā denique  
 hominis popularis mentionem facis : qui non modò  
 suppliciiis inusitatis, sed etiam verborum inaudita  
 crudelitate violare libertatem huius populi,  
 tentare mansuetudinem, commutare disciplinam  
 conatus es? Nanque hæc tua, quæ te hominem  
 clementem popularēque delectant, I licitor,  
 colliga manus: quæ non modò huius libertatis,  
 mansuetudinisque non sunt, sed ne Romuli  
 quidem aut Numæ Pompilij: sed Tarquinij  
 superbissimi atque crudelissimi Regis ista sunt  
 cruciatus carmina, quæ tu homo lenis ac popularis  
 libētissimè cōmemoras. Caput obnubito,



infœlici arbori suspendito: quæ verba Quirites, iam pridem in hac Rep. non solum tenebris vetustatis, verum etiam luce libertatis oppressa sunt.

*Quamobrem*) Comparata disputatio deinceps est, Labienus perduellionis iudicio constituendo non tam popularis est, quam eodem tollendo Cicero. Argumentum ex factis utriusque, vel potius ex circumstantiis ipsius iudicii sumitur. *Popularis*) Nomen est politicum, δημοτικὸν & δημοκρατικὸν, in mala Rep. τιμοκρατικὸν in bona, Aristot. appellat, Qui autem ea quæ faciebant, quæque dicebant, multitudini iucunda esse volebant, populares habebantur, ait Cicero pro Sestio, δημοκρατοῦς sæpe Aristoteles, sed in malam partem nominat. *Martio*) Ager Tarquiniorum Marti consecratus, Martius deinde campus fuit, ait Liuius lib. 1. *Vincla*) Sæpius pleno casu, vincula, aliàs tamen apud Ciceronem etiam contractum, Mitto vincula, carcerem, verbera.

*Centuriatis*) Quæ maxima Romæ erant, fiebantque ex censu & ætate per centurias: in quibus singulis ceterum ciues erant. Vide Gellium de tribus comitiorum Ro. generibus, Ceteriatis, Curiatis, Calatis, cap. 27. lib. 15. *Popularis*) Sententia complexionis, quare Labienus non est popularis: sed augetur epiphonemate & εἰρονομία, deinde exasperatur dissimili collatione popularium ciuium, quorum in actione sua Labienus meminerat. *Custos, defensorque*) Sic Agraia secunda de Trib. pleb. Quem maiores præsidem libertatis, custodemque esse voluerunt. Platonicum autem est: Plato enim principes appellat φύλακας, id est custodes, & eorum πολιτικῶν, φυλακικῶν.

*In iussu vestro*) Populi iussus erat, autoritas Senatus: ut cum populus legem iussisset, Senatus autor esset, Magistratus autem, ait in Politicis Aristot. tribus rebus declaratur, consilio, iudicio, & imperio, sed imperio maximè. Itaque cum summa Romanæ politicæ autoritas tum penes populum esset, iussus populi dicitur: & quia summam imperandi potestatem populus Coss. daret, imperium Consulare à Cicerone antea dictum est. *Indicta causa*) Indicta causa damna-ri dicuntur ii, qui causam non dixerunt, neque se defenderunt: præsentibus aut absentibus sententiam passi sint, nil attinet, Rabirius enim præsens fuit, & tamen indicta causa condemnatus à Duumviris: & quanuis indicare, pro non dicere, sicut inuidere, pro non videre vix reperiatur: tamen in dictam & iniuriam, pro non dicto & non viso



## 20 P. RAMI PRAELE. IN ORAT. CIC.

dictum. In eoque considera Budæi definitionem, qui putat indicta causa damnatos, qui absentes sententiã passi sint. *Tu mihi*) Concluditur Labieni & popularium ciuium dissimilitudo, & maiorum collatione augetur. *Tentare*) Id est inuadere, & infesto animo petere ad euertendũ. Sic antè, Vnius hominis senectus, infirmitas solitudoque tentata est. *Nanque hæc*) Demonstratur proposita verborum crudelitas per prosopopeiam ex Duuirum capitalium formula collectam. Apud Lium autẽ lib. 1. descripta est, vbi Tullius, concilio populi aduocato, Duumuiros (inquit) qui Horatio perduellionem iudicent secundum legem, facio. Lex horreni carminis erat. Duumuiros perduellionem iudicet, si à Duumuiris prouocari, prouocatione certato, si vincant, caput obnubito, infelici arbori recte suspedito, verberato vel intra pomerium, vel extra pomerium. Hac lege Duumuiros creati, qui se absoluerent non rebantur ea lege, ne innoxium quidem posse, cum condemnassent: tum alter ex his, P. Horatii tibi perduellionem iudico, inquit, licet colliga manus. Accesserat iniuciebaturque laqueum, &c. *Carmina*) Formulã carmen vocat, vt Lius in proximo loco, & Cicero pro Muræna. Prætor interea ne se pulchrum aut beatum putaret, atque aliquid ipse sua sponte loqueretur, ei quoque carmen compositum est. *Obnubito*) Nubere (vt Grammatici docent) propriè est velare, operire: à nube quæ cœlum operit. Tropice mulier dum viro traditur, nubere dicitur, quia tum caput velet: ergo, obnubito, id est propriè obducito, obuelato.

*Infelici arbori*) Fructum arborum solẽ nullum ferunt, hoc est ne semen quidem, tamarix, populus, alnus, vlmus, alaternus. Infelices autem existimantur, damnataque religione, quæ neque feruntur vnquam, neque fructum ferunt. Cremutius auctor est, nunquam virere arborẽ, ex qua Phylis se suspenderit. Plin. lib. 16. cap. 26.

*Suspendere*) In ablatiuo casu phrasis hæc tribus modis enuntiat, Quod diceret vxorem suam suspendisse se de fico. 2. Oratorio dictum est, Hominem corripere & suspendi iussit in oleastro quadam. 5. Actione, Item querenti quod vxor sua è fico se suspendisset, ait Quintil. lib. 6. Ergo licet pro eodem dicere, suspendere se arbori, in arbore, de arbore, ex arbore.

6 An verò si actio ista popularis esset, & si vllam partem æquitatis haberet, aut iuris, C. Gracchus eam reliquisset: scilicet tibi grauiorem dolo-



rem patruī mors attulit, quàm C. Graccho fratris: & tibi acerbior eius patruī mors est, quem nunquam vidisti, quàm illi eius fratris, quicum concordissimè vixerat? & similis viri tu vlcisceris patruī mortem: atque ille persequeretur fratris sui, si ista ratione agere voluisset? & par desiderium sui reliquit apud populum Rom. Labienus iste patruus vester, quisquis fuit, & T. Gracchus reliquerat? an pietas tua maior, quàm Gracchi? an animus, an consilium, an opes, an authoritas, an eloquentia? quæ si in illo minima fuissent, tamen præ tuis facultatibus maxima putarentur. Cùm verò his rebus omnibus C. Gracchus omnes vicerit, quantum interuallum tandem inter te atque illum interiectum putas? Sed moreretur prius acerbissima morte millies Gracchus, quàm in eius cōcione carnifex consisteret, quem non modò foro, sed etiã cælo hoc ac spiritu Censoriæ leges, atque vrbis domicilio caruere voluerunt.

*An Verò*) Syllogismus alius ita deinceps textitur ex Gracchi quodam iudicio,

*Si perduellionis actio popularis esset, C. Gracchus nõ omisisset:*

*At omisit:*

*Non est itaque popularis.*

Ad propositionis illustrationem differitur ex adiunctis personarum, maiorem actionis huius occasionē Caio tum fuisse, quàm nunc sit Labieno. De morte Tiberii vide Plutarchum & Plinium in eius vita. *Cōcordissimè*) Quàm cum concordissimis fratribus esse maluisset, pro Ligario, similis gradus est comparationis. *Desiderium*) Tantum sui desiderium duo Gracchi Tiberius & Caius reliquere: vt

b. iij.



vbi occisi fuerant, positæ sint statuæ, sacella ædificata, sacrificia tanquam diis facta. Plutarchus in Gracchis. *Eloquentia*) C. Graccho plenior & vberior ad dicendum orator nullum ante eum fuisse Cicero in claris Oratoribus scribit, & in 3. Oratorio, Quid fuit (ait Crassus) in Graccho, quæ tu Catule, melius meministi, quod me puero tãtopere ferretur? Quò me miser conferam? quò vertam? in Capitoliumne? at fratris sanguine redundat. An domum? matremue vt miseram lamentantem videam & abiectam? Quæ sic ab illo acta esse constabat, oculis, voce, gestu, inimici vt lachrymas tenere non possent. Hunc locum Gracchi Cicero pro Muræna imitatus est. *Quæsi in illo*) Absoluitur illustratio propositionis, & integro syllogismo breuiter concluditur. *Sed moueretur*) Sententia assumptionis, quòd Gracchus iudicium perduellionis omiserit. Res augetur collatione minorum. *Cælo*) Sic pro Roscio de parricidis, Ita viuunt dum possunt, vt ducere animam de cælo non queant. Cælum pro aëre posuit.

7 Hic se popularem dicere audet, me alienum à commodis vestris, cum iste omnis & suppliciorum & verborum acerbitates nõ ex memoria vestra, ac patrum vestrorum, sed ex annalium monumentis, atque ex regum commentariis conquisierit: ego omnibus meis opibus, omnibus consiliis, omnibus dictis atque factis repugnari & restiterim crudelitati? Nisi fortè hanc conditionem vobis esse vultis, quã ferui, si libertatis spem propositam non haberent, ferre nullo modo possent. Misera est ignominia iudiciorum publicorum, misera mulctatio bonorũ, miserum exilium: sed tamen in omni calamitate retinetur aliquod vestigium libertatis. Mors denique si proponitur, in libertate moriamur. Carnifex verò & obductio capitis, & nomen ipsum crucis absit non



modò à corpore ciuium Romanorum , sed etiam  
 à cogitatione , oculis , auribus . Harum enim  
 omnium rerum non solùm euentus atque per-  
 pefsio, sed etiam conditio, expectatio, mentio ip-  
 sa denique indigna ciue Ro. atque homine libero  
 est. An verò seruos nostros horum suppliciorum  
 omnium metu dominorum benignitas vna vin-  
 dicta liberauit: nos à verberibus, ab vnco, à crucis  
 denique terrore neque res gestæ, neque acta ætas,  
 neque nostri honores vindicabunt? Quamobrem  
 fateor atque etiam T. Labiene, profiteor, & præ  
 me fero, te ex illa crudeli, importuna, non tribu-  
 nitia actione, sed regia, meo consilio, virtute, au-  
 thoritate esse depulsum. Qua tu in actione, quan-  
 quam omnia exempla maiorum , omnes leges,  
 omnem authoritatem Senatus, omnes religiones,  
 atque auspiciorum publica iura neglexisti: tamen  
 à me hæc in hoc tam exiguo meo tempore non  
 audies . liberum tempus nobis dabitur ad istam  
 disceptationem.

*Hic se popularem*) Sententia complexionis, vbi repetitur primū  
 illud popularitatis argumentum ex circumstantiis huius iudicii.

*Nisi*) Amplificatur occasione proximæ complexionis indigni-  
 tas huius iudicii primū collatione minorum: cuius sensus est, Ser-  
 ui verbera nunquam tolerarent , nisi libertatem spectarent : quanto  
 minus Romani tolerabunt? *Misera*) Secundus locus amplifica-  
 tionis ex collatione dissimilium, In ciuilibus & vfitatis damnationi-  
 bus cū multantur ciues Romani ignominia, bonis, exilio, tamen  
 libertas remanet, In hac damnatione nulla remanet. *Publicorum*)  
 Publica iudicia dicūtur , quia cuius ex populo executio eorum ple-  
 b.iiij.



runque detur, cæque tū capitalia sint, quæ capite, vel exilio, vel metallo multat: ut maiestatis, adulterii, cædis, falsi, de vi, peculatus, plagii, ambitus: tū non capitalia, quæ infamiā cum dāno pecuniario inurūt. Vide quartum Institutōrū Iustiniani. *Multatio*) Multare Cic. dicit pœna, damno, ignominia, vinculis, verberibus, morte, exilio, bonis, agris, clavis, fustibus. Nec tantū hoc verbum ad pecuniarum multam attinet. *Perpessio*) A patior passio ut barbarum notatur: perpessio pro eo videtur accipi. Sic in libro de Inuentione Cicero dicit arduarum ac difficilium rerum perpessionem. In Tusculanis, laborum perpessionem: In Finibus, dolorum perpessionem. *An verò*) Tertius locus amplificationis eiusdem ex collocatione minorum.

*Vindicta*) Tres modi fuerunt Romæ serui manumittēdi, censu, testamento, vindicta, ut Cicero indicat in Topicis. Vindicta autem virga erat, quam Prætor manumittendi serui capiti imponebat. Appellata autē sic videtur à Vindicio seruo, qui Tarquiniorum coniurationem Bruto detexit, & hoc modo primū manumissus est.

*Vnco*) Fustis recuruo ferro, quo damnati ad supplicium trahebantur, Vncus impactus est fugitiuo illi. 2. Philip. *Quamobrem*) Concludit Labieni calumniam, & (quod antea timidē à se in maiorū laudem reiciebat) liberius de se gloriando profitetur, Labienum hinc à se depulsum, & ἀντιπαρθετικῶς minitatur, quod constituendo hoc iudicio leges & religiones despexerit.

8 Nunc de Saturnini crimine, ac de clarissimi patris tui morte dicemus. Arguis occisum esse à C. Rabirio L. Saturninum: & id C. Rabirius multorum testimoniis, Q. Hortensio copiosissimè defendente, antea falsum esse docuit. Ego autem si mihi esset integrum, susciperem hoc crimē, agnoscerem, confiterer. Vtinam hanc mihi facultatem causa concederet, ut possem hoc prædicare, C. Rabirij manu, L. Saturninum hostem populi Rom. interfectum. Nihil me clamor iste commouet, sed consolatur, cum indicat esse quosdam ciueis im-



peritos, sed non multos. nunquam, mihi credite, Po. Ro. hic qui silet, Cōsulem me fecisset, si vestro clamore perturbatum iri arbitraretur. Quāto iam leuior est acclamatio. quin continetis vocem indicem stultitiæ vestræ, testem paucitatis?

*Nunc de)* Haecenus à prima parte digressus est ad leniendam sequentis partis inuidiam: descendit tandem ad ipsam partem, quæ propriam iudicii huius quæstionem de nece Saturnini continet, & duplici defensione vitur:

*Si fecisset Rabirius, confiterer:*

*Sed non fecit.*

Assumptio præcedit ex defensione Hortensii, *Crimine)* Crimen hinc passiuè capitur, quomodo in Miloniana, Clodianum crimen Cicero dixit, nõ quòd fecisset Clodius, sed quòd de Clodii cæde Miloni obiiceretur: ita hinc Saturnini crimen quod obiicitur Rabirio de Saturnini cæde. *Ego autem)* Propositio syllogismi, quæ mox iteratur per optationem. *Nihil)* Hinc aduersa populi acclamatio Ciceroni contigit, cui libera obiurgatione resistit: quod faciendum docet Antonius Oratorio secundo, cum fuerit autoritas in oratore: confidentiam verò suam ad terrendos aduersarios demonstrat adiunctis, & quòd pauci reclamant, & quòd ipse sit Consul.

*Quanto iam)* Hoc epiphonemate confidentiam maiorem ostendat, & mox etiã multo maximã, cum aduersa acclamatio iteraretur.

*Quin continetis)* Hinc oratoris vox supra quenuis acuminis modum, ac supra naturam vocis humanæ acerba est, vt Quintilianus de pronuntiatione admonet, vbi pro (continetis) legit (compescitis.)

9 Libenter inquam confiterer, si verè possem, aut etiam si mihi esset integrum, C. Rabirij manu L. Saturninum esse occisum: & id facinus pulcherrimum esse arbitrarer. Sed quoniam id facere non possum, confitebor id quod ad laudem minus valebit: ad crimen, non minus. Confiteor interficiendi Saturnini causa, C. Rabirium arma



cepisse. quid est Labiene? quam à me grauiorem confessionem, aut quod in hunc maius crimen expectas? nisi verò interesse aliquid putas inter eum qui hominem occidit, & eum qui cum telo occidendi hominis causa fuit. Si interfici Saturninum nefas fuit, arma sumpta esse contra Saturninū sine scelere nō possunt: si arma iure sumpta concedis, interfectū iure concedas necesse est.

\*

Fit S.C. vt C. Marius, L. Valerius Consules adhiberent Tribunos pleb. & Prætores, quos eis videretur: operamque darent, vt imperium pop. Rom. maiestatisque cōseruaretur. Adhibent omneis Tribunos ple. præter Saturninum, præter Glauciam: qui Rempub. saluam esse vellent, arma capere & se sequi iubent. Parent omnes: ex ædificiis, armamentariisque publicis arma populi Rom. C. Mario Consule distribute, dantur.

*Libenter*) Acclamatione sedata repetitur propositio syllogismi.  
*Sed quoniā*) Repetitur assumptio, quod Rabirius nō occiderit, & voluntatis confessio pro facti cōfessione ponitur. *Quid est*) Apostrophe in accusatorē causæ fiducia ostendat tam libera confessionis qualitate. *Nisi verò*) Stoica sententia est ex fine ad euentū, peccata non euentis rerum, sed hominum voluntate metienda: qualis etiam est in Miloniana, Nisi fortè quia res perfecta non est, nō fuit punienda, perinde ac exitus rerum non hominum consilia legibus vindicentur. Hæc eadem sententia lib. Digestorum 48. lege Cornelia, de sicariis, sancitur, Qui hominis occidendi causa cum telo ambulauerit lege de sicariis teneatur. *Si interfici*) Hic syllogismus summam defensionis vniuersæ continet, ex causa facti ad ipsum factum argumentatur,



*Si Saturnini nex iniusta, & arma iniusta:*

*Sed arma non iniusta:*

*Quare neque nex.*

Assumptio per hypothesim suspenditur, ad quam probandam reliqua deinceps oratio refertur: cuius magna pars initio desideratur de seditione Saturnini & tumultu populi ad eam reprimendam. Hic autem Cicero causæ statū constituit, An occidendi Saturnini causa arma à Rabirio iure sumpta sint. *Fit S.C.*) Hic postrema narrationis pars est de S. C. quo probare Cicero vult arma iure sumpta esse.

*Præter Glauciã*) Vide nū hīc desint hæc verba (Omnes prætores) Nā Glauca tum prætor fuit, vt Liuius author est lib. 69. *Armamentariis*) In armamentario armamenta vrbis, id est generum omnium machinæ, tela, hastæ, omniâque militaria arma reconduntur.

io Hīc iam, vt omittā cætera, de te ipso Labiene, quæro, cū Saturninus Capitoliū teneret, armatus esset vnā C. Glauca, C. Saufeius, etiā ille ex cōpedibus atque ergastulo Gracchus: addam (quoniam ita vis) eodem Q. Labienū patrum tuum: in foro autem C. Marius, & L. Valerius Flaccus COSS. pōst cunctus Senatus, atque ille Senatus, quē etiā vos ipsi, qui hos P. Conscriptos, qui nunc sunt, in inuidiā vocatis, quo facilius de hoc Senatu detrahere possitis, laudare cōsueuistis: cū equester ordo, at quorum Equitum Rom. dij immortales? patrum nostrorum atque eius ætatis, quæ tū magnam partem Reipub. atque omnem dignitatem iudiciorum tenebat, cū omnes omnium ordinum homines, qui in salute Reipublicæ salutem suam repositam esse arbitrabātur, arma cepissent: quid tandem C. Rabirio faciendum fuit? de te ipso inquam Labiene, quæro.



*Hic iam*) Posito ex proxima narratione fundamento authoritatis publicæ, quam secutus est Rabirius, comparat ipsas inter se partes. Cum Saturnino tres magistratus fuere, Glaucia Prætor, Saufeius Censor, Gracchus Tribunus, & quidam priuati, vt Quintus Labienus. In altera parte Cofs. Senatus, Equester ordo, & omnes boni.

*In Capitolium*) Eandem arcem Brutus & Cassius interfecto Cæsare occupauerunt. *Saufeius*) Appianus appellat Saphinium, eumque tum Cæsorem ait fuisse, ignemque tēplo iniecisse, vt siti periret.

*Gracchus*) L. Equitium Saturninus subornauit, qui se Tiberii Gracchi filium fingeret, eoque nomine Trib. pleb. fecit. Populus hūc conuulsis claustris carceris eripuit. Vide Appianum lib. 1. Plinium in Saturnino. Val. lib. 9. de vi & seditione. Cicero autem significat seruum fuisse, quanuis Plinius dicit libertinum. Ergastulum enim locus est, in quo uincti nequiores serui opus faciunt: & serui ipsi aliquando ergastula vocantur.

*Equester*) Notabis sæpe apud Ciceronem equester masculino genere: obseruato, an etiam equestris eodem genere dicatur.

*Iudiciorū*) Cū tres sint Reip. vt iam dixi ex Aristotele, partes, imperium, iudicium, cōsiliū: post imperium summa potestas est iudiciorum. Itaque post expulsos reges de iudicatu magna Romæ contentio fuit. Ante Gracchum Senatus iudicauit, lege Gracchi equester ordo quinquaginta annos iudicauit vsque ad Syllam, lege Syllæ Senatores soli vsque ad Aureliū Cottā, ex cuius lege tres ordines Senatus, equester ordo, Tribuni cærii iudicauerūt.

*Quid tandem*) Repetitur cōmunicatio, & nominatim recensentur insigniores principes, qui Cofs. sunt secuti. Idem 8. Phil. ferè locus est C. Mario, L. Flacco Cofs. Senatus Remp. defendendam dedit. L. Saturninus Trib. pleb. Glaucia prætor est interfectus, omnes illo die Scaurū, Metelli, Claudii, Catulli, Scæuolæ, Crafsi arma sumpserūt.

II Cū ad arma Consules ex S. consulto uocauissent, cū armatus M. AEmilius princeps Senatus in comitio constitisset: qui, cū ingredi uix posset, non ad insequendum sibi tarditatem pedum, sed ad fugiendum impedimento fore putabat? cū denique Q. Scæuola confectus senectute, præpeditus morbo, mancus, & mēbris om-



nibus captus ac debilis, hastili nixus, & animi vim & infirmitatem corporis ostenderet: cùm L. Metellus, Ser. Galba, C. Serranus, P. Rutilius, C. Fimbria, Q. Catulus, omnesque qui tum erant Consulares, pro salute communi arma cepissent: cùm omnes Prætores, cuncta nobilitas ac iuuentus accurreret: C. & L. Domitius, L. Crassus, Q. Mutius, C. Claudius, M. Drusus, cùm omnes Octauij, Metelli, Iulij, Cæsij, Catones, Pompeij: cùm L. Philippus, L. Scipio, cùm M. Lepidus, cùm Decius Brutus, cùm hic ipse P. Seruilius, quo tu imperatore Labiene, meruisti: cùm hic Q. Catulus admodum tum adolescens: cùm hic C. Curius, cùm denique omnes clarissimi viri cum consulibus essent, quid tandem C. Rabirium facere conuenit? utrum inclusum atque abditum latere in occulto, atque ignauiam suam tenebrarum, ac parietum custodiis tegere? an in Capitolium pergere, atque ibi se cum tuo patruo, & cæteris ad mortem propter vitæ turpitudinem confugientibus congregare? an cum Mario, Scauro, Catulo, Metello, Scauola, cum bonis denique omnibus coire non modo salutis, verum etiã periculi societatem? Tu denique Labiene, quid faceres tali in re ac tempore? cùm ignauia ratio te in fugam atque in latebras impelleret, improbitas & furor L. Saturnini in Capitolium arcesseret, Cõsules ad patriæ salutem ac libertatem vocarent, quam tandem authoritatem,



quam vocem, cuius sectam sequi, cuius imperio parere potissimum velles? Patruus, inquit, meus cum Saturnino fuit. quid pater? quicum? quid propinqui vestri Equites Romani? quid omnis praefectura, regio, vicinitas vestra? quid ager Picenus vniuersus? vtrum Tribunitium furorem, an Cōsularem authoritatem secutus est? Equidem hoc affirmo, quod tu nunc de tuo patruo praedicas, neminem vnquam adhuc de sese esse confessum: nemo est, inquā, inuentus tam profligatus, tam perditus, tam ab omni non modò honestate, sed etiā simulatione honestatis relictus, qui se in Capitolio fuisse cum Saturnino fateretur.

*AEilius*) Vide Plinium in Viris illust. & Valer. lib. 3. de fortitudine. Princeps Senatus à Censore legebatur, qui primus sententiam rogaretur. Vide Gell. lib. 4. cap. 10. *Præpeditus*) Terētius sic loquitur in *ἔαυτοῦ*. Quia in re nostra aut gaudio sumus præpediti nimio, aut ægritudine: & Plautus fallaciæ præpeditum dixit: tametsi Valla isto loco legit, senectute affectus, morbo præditus, lib. 5. cap. 35.

*Cum denique*) Concludit enumerationis inductionem, & disjunctum inde syllogismum conficit, Rabirio in tali tempore delitescendum, aut fugiendum cum Saturnino, aut standum cum bonis: non primum, non secundum: tertium igitur. Propositio latius disputatur.

*Omnes clarissimi*) Valla in hoc dictionis genere Priscianum reprehendit. Est tamē non infrequēs in Cicerone. Cicero enim ad Lentulum, omnes grauissimas iniurias dixit: & Oratorio. 2. omnia minima mafa: & pro Cecinna, omnibus antiquissimis ciuibus. Quare licet etiam (omnis) cum superlatiuo iungere. *Ignauiam*) Vulgus appellat pusillanimitatē, Cicero timiditatē vocat, Quibus rebus intelligitur, nec timiditatē ignauiamque vituperari, nec fortitudinē, patientiamq; laudari suo nomine. 1. de Fin. & 3. Tuscul. Quæ qui recipit, recipiat etiā necesse est timiditatē & ignauiam. *Coire*) Coire societate sæpe Cicero, quod etiā pro Quintio, facere societate dixit,



Vt nam (ait Philip. 2.) Cn. Pompei, cum C. Cæsare societatem aut nunquam coisses, aut nunquam diremisses. *Tu denique*) Repetitur per inchoatam cōmunicationem eadem disjuncta propositio, vt in re tam manifesta vehementius vrgeatur accusator. *Sectam*) Secta propriè in disciplinis dicitur, vt philosophorum sectæ, Academica, Peripatetica: quo significationis genere pro instituto & lege vsurpatur, vt pro Cælio, Qui hanc sectam rationemque vitæ re magis quàm verbis secuti sumus, & 2. de Nat. deo. Omnis natura artificiosa est, quod habet quasi viam quandam & sectam, quã sequatur. Aliquando pro partibus & factione, vt hinc & in Philip. Hostes autem iudicari, qui M. Antonii sectã secuti sint. *Patruus*) Prolepsis inuidiosa fingit Titum Labienũ Saturnini sectam secuturum: deinde maioris auctoritatis exēplo reprehendit. *Præfectura*) Præfectura politiæ Ro. propriũ nomen hinc est, qualis in Italia vocabatur vbi ius dicebatur & agebantur nundinæ. Vide Festũ. *Equidem*) Exaggerat eandem prolepsim dissimilitudine, Nemo adhuc de se confessus est, quod tu prædicas de patruo tuo. *Nõ modò ab honestate*) Non multo secus illud Act. 7, Sine vlla nõ modò religione, verũetiam dissimulatione.

12 At fuit vester patruus. Fuerit, & fuerit nulla desperatione rerũ suarum, nullis domesticis vulneribus coactus: induxerit eum L. Saturnini familiaritas, vt amicitiam patriæ preponeret: idcirco ne oportuit C. Rabiriũ desciscere à Rep? nõ cōparere in illa armata multitudine bonorũ? Consulum voci atque imperio non obedire? Atqui videmus hæc in rerũ natura tria fuisse, vt aut cū Saturnino esset, aut cū bonis, aut lateret. Latere, mortis erat instar turpissimæ: cum Saturnino esse, furoris & sceleris: virtus & honestas & pudor cū Consulibus esse coegbat. Hoc tu igitur in crimẽ vocas? quod cum iis fuerit C. Rabirius, quos amētissimus fuisset, si oppugnasset, turpissim⁹, si reliquisset. At C. Decianus:



de quo tu saepe cōmemoras, quia cūm hominem omnibus insignem notis turpitudinis P. Furiū accusaret summo studio bonorū omnium, queri est ausus in cōcione de morte Saturnini, cōdemnatus est: & Sex. Titius, quōd habuit imaginem L. Saturnini domi suæ, condemnatus est. Statuerunt Equites Rom. illo iudicio, improbū ciuem esse, & non retinendum in ciuitate, qui hominis hostilem in modum seditiosi imagine aut mortem eius honestaret, aut desideria imperitorū misericordia commoueret, aut suam significaret imitandæ improbitatis voluntatem. Itaque mihi mirū videtur, vnde hanc tu Labiene, imaginem, quam habes, inuenis. Nam Sex. Titio damnato, qui istam habere auderet, inuentus est nemo.

*At fuit*) Repetit idem alia prolepsis, & optatione quadā oblique notat Q. Labienum, tāquam prodigum & desperatū. *Induxerit*) Urget proximam permissionē, fuerit Labienus cum Saturnino, non ideo Rabirius à bonis abesse debuit. *Comparere*) Cōparere idem significat quod apparere, Non comparet argenti ratio, Plautus ait, In turba nouorū voluminū vix hæc cōparet oratio, ait in Bruto Cicero.

*Atqui videmus*) Repetitur tertio loco eadem disiuncta propositio: & duabus remotis partibus, tertia concluditur. *Instar*) Nomen est indeclinabile, & similitudinem significat, Vnus ille dies mihi quidem instar immortalitatis fuit, ait in Pisonem. Aliquando nota similitudinis adiungitur, Terra ad vniuersi cæli complexum quasi puncti instar obtinet, ait in Tusco. Hæc magna sunt, & quasi animi instar in corpore, ait in Oratore. Gellius, Apuleius & posteri addūt prepositionē, & ad instardicūt: sed Cicer. autoritas locupletior est. *Hoc tu*) Concluditur principalis quæstio, arma cōtra Saturninū iure sumpta esse. *At C. Decianus*) Confirmatur eadē quæstio duobus præiudiciis contra Saturnini necem factis. *Condemnatus est*)



Condemnatus est condemnatus, repetitum in fine duarum sententiarum, est ἐπισημοῦ. Duo autem hæc iudicia Valerius lib. 8. cap. 1. recitat, Decianus non solum Furium non damnauit, sed pœnas Furio debitas ipse persoluit. Titius licet esset innocens, & Agraria lege populo gratus, tamen damnatus est. *Statuerunt*) Ratio proximi præiudicii ex adiunctis, ubi generalis propositio textitur in Labienû: *Qui Saturnini habeat imaginem, damnandus est. Hostilem in modum*) Perduellem notat hac periphrasi. In Verrem autem sic ait, hostilem in modum cruciari, & in prouinciis cõsularibus hostilem in modum vexari. *Itaque mihi*) Assumptio est: At Labienus attulit imaginem Saturnini in concionẽ. Hic etiã præiudiciũ repetitur.

13 Quod tu si audisses, aut si per ætatẽ scire potuisses, nunquam profectò istam imaginẽ, quẽ domi posita pestem atque exilium Sex. Titio attulisset, in rostra atque in concionẽ attulisses: nec tuas vnquam rationes ad eos scopulos appulisses, ad quos Sex. Titij afflictã nauem, & in quibus C. Deciani naufragium fortunarum videres. Sed in his rebus omnibus imprudẽtia laberis. causam enim suscepisti antiquiorẽ memoria tua: quẽ causa antè mortua est, quã tu natus esses. qua in causa tute profectò fuisses, si per ætatem esse potuisses, eam causam in iudicium vocas. An non intelligis primum quos homines, & quales viros mortuos summi sceleris arguas? deinde quos ex iis, qui viuunt, eodem crimine in summũ capitis periculum arcessas? Nam si C. Rabirius fraudem capitalem admisit, quòd arma contra L. Saturninũ tulit: huic quidem afferet aliquam deprecationem periculi ætas illa, qua tum fuit: Q. verò Catulum patrem



huius, in quo summa sapientia, eximia virtus, singularis humanitas fuit: M. Scaurū, illa grauitate, illo consilio, illa prudentia: duos Mutios, L. Crasum, M. Antonium, qui tum extra urbem cū praesidio fuit: quorum in hac ciuitate longè maxima consilia atque ingenia fuerūt, ceteros pari dignitate praeditos, custodes, gubernatorēsque Reipub. quēadmodū mortuos defendemus? Quid de illis honestissimis viris atque optimis ciuibus Equitibus Ro. dicemus, qui tum vnà cū Senatu salutem Reip. defenderunt? quid de tribunis arariis, ceterorumque ordinū omnium hominibus, qui tum arma pro communi libertate ceperunt?

*Quod tu*) Excusatur Labienus ex imprudentiæ causā: Si nosces, non fecisses: At nesciebas. In propositione repetitur idem prauidicium, & illustratur allegoria à naufragis sumpta: quale exemplum illud est primo Aeneid.

*Illum expirantem transfixo pectore flammis  
Turbine corripuit, scopulōque inflixit acuto.*

Hic magnæ criminationis materies erat: sed Cicero Rabirium liberare, non Labienum accusare voluit. *Sed in his*) Assumptio est conplexionis: At nesciebas. *Laberis*) Labi propriè est sensim cadere: est etiā piscium & serpentū & in lubrico vel glaciato loco cadentium. Hic metaphora est ad errorem animi, quomodo sæpe Cicero loquitur, & lapsus pro errore sumit: vt in Academico, Continere temeritatem à lapsu. *Qua in causa*) Cōplexionis loco repetitur propositio conplexionis. *An nō intelligis*) Disputatū est adhuc ex autoritate publica, arma iure sumpta esse. Disputatur deinceps idem argumentū aliter:

*Si damnetur Rabirius, damnandos esse qui tum arma ceperunt:*

*At secundum falsum: Primum igitur.*

Propositio copiose tractatur. *Summi sceleris*) Periphrasis est perduellionis, paulōque post appellabitur nefarium scelus ac partici-



dium. *Arcessas*) Forense verbum est aliquando, vt pro Deiotaro, Non ficto crimine insectari, non expetere vitam, non capitis arcessere, *Fraudem capitalem*) Fraus aliquando crimen significat, vt hic & pro Muræna, Id erit eius vitrico fraudi ac crimini. & s. Philippica, De militibus Antonii, ne sit ea res fraudi, si ante Calēdas Februarii ab eo decesserint. Itaque capitalem fraudem admittere est, vt Vlpianus ait, aliquid delinquere, propter quod capitis pœna pendenda sit. *Deprecatio*) Amplificatio propositionis: Rabirius excusari posset, quia iuuenis tum fuit, cæteri nullo modo, qui prudentia & ætate summa præditi fuere. Itaque multis circumstantiis singulæ personæ deinceps ornatur. *Q. Catulum*) Hic Catulus pater antea in Consularium numero fuit. Is autē est, qui Consulem Cicero-nem detecta coniuratione Catilinæ patrem patriæ nominavit, Me Q. Catulus princeps huius ordinis & author publici cōsiliū frequentissimo Senatu parentem patriæ nominavit, ait Cic. in Pisonem.

*Crassum*) De Crassi & Antonii eloquentia multa commemoratio est in Oratoriis libris: in Bruto autem Cicero ait, In his primū cum Græcorum gloria Latine dicendi copiam æquatam fuisse: quam laudem tamen in Oratore retexit, quasi nimium illis tribuerit. *Ærariis*) Ærarios Tribunos Ro. nominabant, quibus militaris pecunia erat attributa, quomodo hodie in Francia Budæus putat receptores generales dici posse, vt præfectos ærarii, generales finantiarū.

14 Sed quid ego de his omnibus, qui Consulari imperio paruerūt, loquor? de ipsorum COSS. fama, quid futurū est? L. Flaccū hominem cū semper in Rep. tum in magistratibus gerēdis, in sacerdotio cæremoniisq̄, quibus præerat, diligentissimum nefarij sceleris, ac parricidii mortuum condemnabimus? adiūgimus ad hanc labem, ignominiamque mortis etiam C. Marii nomen? C. Mariū, quem verè patrem patriæ, parentē inquam vestræ libertatis, atque huiusce Reip. possumus dicere, sceleris ac parricidii nefarii mortuum cōdemnabi-



36 P. RAMI PRAELE. IN ORAT. CIC.  
mus? Etenim si C. Rabirio quòd iit ad arma, cru-  
cem T. Labienus in campo Martio defigendam  
putauit: quod tandem excogitabitur in eum sup-  
pliciũ, qui vocauit? Ac si fides Saturnino data est,  
quod abs te sapissimè dicitur, non eam C. Rabi-  
rius, sed C. Marius dedit: idèmq; violauit, si in fi-  
de non stetit. Quæ fides Labiene, quĩ potuit sine  
Senatusconsulto dari? ad eone hospes huiusce vr-  
bis, ad eone ignarus es disciplinæ cõsuetudinĩsque  
nostræ, vt hæc nescias? vt peregrinari in aliena ci-  
uitate, non in tua magistratũ gerere videre? Quid  
iam ista C. Mario, inquit, nocere possunt, quoniam  
sensu & vita caret? Itane verò tantis in laboribus  
C. Marius periculĩsque vixisset, si nihil longius,  
quàm vitæ termini postulabant, spe atque animo  
de se & gloria sua cogitasset? At credo, cùm innu-  
merabileis hostium copias in Italia fudisset, atque  
obsidione Rempublicam liberasset, omnia sua se-  
cum vnà moritura arbitrabatur. Non est ita Qui-  
rites: neque quisquã nostrum in Reipublicæ pe-  
riculis cum laude ac virtute versatur, quin spe po-  
steritatis fructũque ducatur.

*Sed quid*) Reuocatio est sui ipsius, sic enim Cicero hanc figuram  
nominat. *De fama*) Terentiũ in hoc genere præpositionẽ ferè omit-  
tit, Quid illo facias? Tu fortasse quid me fiat, parui pendis. In *æav. v.*

*Patrem patriæ*) Appellationis huius laudem Cicero prius Romę  
consecutus est, vt Plutarchus in vita Ciceronis, & Iuuenalis octaua  
Satyra hanc in laudibus Ciceronis posuit,

- sed Roma parentem



Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit. Quod idem Plinius lib. 7. ca. 30. de Cicerone loquens ait, Salve primus omnium patriæ parens appellatione. Hanc autem laudem Mario tribuit propter Cimbricam victoriam, de qua paulò post: & quoties in Marii mentionem Cicero incidit, impensius municipem & popularem suum laudat: vterque enim Arpinas fuit. *Etenim*) Exaggeratur proximum de Mario exëplum collatione maiorum: Si crucem meruit, qui paruit: quod supplicium meruit, qui iussit? *Ac si fides*) Proleptis præcipuæ criminationis, quòd contra fidem publicam Rabirius Saturninum necauerit. Cicero facti, quod tamen inficiatur, culpam reiicit in Marium. *Fides*) Fides mea, tua, sua, publica, priuata, significat quod vulgò securitatem dicimus. Promiserat Saturnino Marius securum è Capitolio descensum, tutòque causam in foro dicturum: fidem violatam esse queritur Labienus. Cicero ex causa adiuuante disputat, fidem datam non esse, quia Senatus, in quo publicum consilium erat, non approbauerat. *Hospes*) Sic pro Milone, An verò, iudices, vos soli ignoratis, vos hospites in hac vrbe versamini? vestræ peregrinatur aures, neque in hoc peruagato ciuitatis sermone versantur?

*Quid iam ista*) Propositio adhuc fuit: Si Rabirius dānetur, tot viros dānandos esse. Assumptio sequitur: At dānandi non sunt. Epicurea autē proleptis est. Epicurus enim animos vnà cum corporibus extingui censuit. Nec Aristoteles ab hac sententia longè absuit, qui iudicauit in morte vitam, sensum, memoriam, affectū lætitiæ & doloris, intellectum etiam, quē *παθητικόν* vocat, interire: remanere τὸν νοῦν, qui extrinsecus adueniret, & qui (vt Alexander Aphrodisæus Aristotelis sententiam explicat) animæ nostræ neque pars, neque facultas esset. Enimuero si post mortē anima neque vitæ antea actæ meminit, neque doloris apud inferos, neque lætitiæ apud superos affectum sentit, quænam ista immortalitas fuerit? aut si *νοῦς* iste Aristotelicus neque pars, neque facultas animæ nostræ est, sed sicut oculi nostri lumine extrinsecus adueniente cū vident, illuminantur, cū fuerint, vel morte, vel somno, vel alio quouis modo clausi, visio nulla est: lumen tamē illud nō extinguitur, sed in suum tanquā fontē recurrit: sic Aristotelica illa mēte extrinsecus adueniente, viuus homo intelligat, cū autem homo moritur, vita, sensus, memoria, affectus, intellectus patibilis, id est, tota nostra anima intereat, mens tamē illa animis humanis aduentitia non extinguitur, sed in suam vniuersitatem recipiatur, nil Marii proprium remanebit: nec animus Marii



immortalis erit, sed animi Mariani lumen: quod tamen Marii nil magis proprium sit, quàm oculi proprium est solis lumen, vt Aristoteles, si Aphrodiseo credatur, verbo videatur nostros animos immortales reliquisse, re ipsa mortales fecisse. Longè autè melius ac apertius Plato, qui non modò vitam, sensum, memoriam, affectum, sed æterna præmia suppliciaue pro suis cuique meritis decernit. Hanc impiam de mortalitate animorum sententiam Cicero refellit ex adiuncta nostris animis præsentione immortalitatis:

*Si Marius non præsensisset se immortalem esse, nunquam in tot laboribus vixisset:*

*At vixit:*

*Immortalem igitur se præsensit.*

Assumptio & complexio confunduntur. *Innumerabiles*) Apud aquas Sextias in Gallia bracchata Theutonorum & Ambronum ducenta millia cæsa sunt, nonaginta capta: apud agrù Claudiù in Gallia rogata centum quadraginta millia cæsa, sexaginta capta: vnde Marius cõseruator vrbs & tertius instaurator appellatus. Vide Liuium lib. 68. Plin. & Plutar. in Mario.

15 Itaque cùm multis aliis de causis virorũ bonorũ mentes diuinæ mihi, atque aternæ videtur esse: tũ maximè, quòd optimi & sapiētissimi cuiusque animus ita præsetit in posterũ, vt nihil nisi sempiternum spectare videatur. Quapropter, equidem & C. Marij & caterorum virorum sapientissimorum ac fortissimorum ciuium mentes, quæ mihi uidentur ex hominum vita ad deorum religionem & sanctimoniam demigrasse, testor, me pro illorum fama, gloria, memoria, non secus, ac pro patriis fanis atque delubris propugnandum putare: ac si pro illorum laude mihi arma capienda essent, non minus strenuè caperem, quàm illi pro communi salute ceperunt. Etenim Quirites,



exiguum nobis vitæ curriculum natura circumscripsit, immensum gloriæ. quare si eos qui iam de vita decesserunt, ornabimus, iustiorē nobis mortis conditionem relinquemus.

*Iraque*) Deducit è proximo argumento complexionem generalem de animorum diuinitate & æternitate, cuius causæ præter hanc posteritatis præensionem multæ sunt in Platone ex perpetuo animi motu, ex contrariorum argumento: Vitam mors sequitur, ergo vita mortem consequetur: ex recordatione: ex simplicitate naturæ: Nō est composita anima, ergo nunquam dissoluetur. *Præsentit*) Sic secundo de Diuinatione, Censent esse in mentibus nostris tanquam oraculum aliquod ex quo futura præsentiant. Et pro Archia, Certè si nihil animus præsentiret in posterum, & si quibus regionibus vitæ spatium circumscriptum est, iisdem omnes cogitationes terminaret suas, nec tantis se laboribus frangeret, nec tot curis vigiliisque angereetur, nec toties de vita ipsa dimicaret. *Quapropter*) Concludit partem assumptionis de Mario & cæteris mortuis, quod damnandi non sint: & auget collatione similibus & paribus. *Etenim Quiritis*) Illustratur proxima complexio dissimilitudine vitæ & gloriæ, & circumstantia pietatis in defunctos.

16 Sed si illos Labiene, quos iam videre nō possumus, negligis: ne his quidem, quos vides, consuli putas oportere? Neminem esse dico ex his omnibus, qui illo die Romæ fuerit, quem tu diem in iudicium vocas, pubesque tum fuerit, quin arma ceperit, quin Consules secutus sit. omnes ii, quorum tu ex ætate coniecturam facere potes, quid tum fecerint, abs te capitis C. Rabiri, nomine citantur. At occidit Saturninum Rabirius. vtinā fecisset. non supplicium deprecarer, sed præmium postularem. Etenim si Scauæ seruo Q. Crotonis,



qui occidit L. Saturninum, libertas data est, quòd Equiti Ro præmiũ dari par fuisset? & si C. Marius, quòd fistulas, quibus aqua suppedi tabatur Iouis Opt. Max. templis ac sedibus, præcidi imperarat, quod in cliuo Capitolino improborum ciuium.

\*

*Sed si illos*) Accedit ad secundam assumptionis de viuis, qui hoc iudicio tenerentur. *Pubes*) Pubes substantium fœm. ge. cùm significat lanuginẽ quæ 14. anno maribus, & fœminis 12. obuenit. Per metonymiam significat eum qui talem attigerit ætatẽ, & adiectiuum est omnis generis, quo mas pubes, & fœmina pubes, & folia pubera dicuntur, Puberes omnes interfici iubet (ait Salustius.) Aliquando significat multitudinem iuuenum eius ætatis, & fœmin. generis substantium est, vt, Cui Senatus totã Remp. omnem Italię pubem, cuncta populi Rom. arma commiserat. Cic. pro Milone. Paulo antè dictum est, pro eo, cuncta nobilitas ac iuuetus. Pubertas ætatem eã significat, quæ plena est anno. 18. vt Modestinus de adoptionibus ait. *At occidit*) Prolepsi statuit primam iudicii quæstionẽ, & facti, quod tamen inficiatur, absolutam qualitatem defendit & auget collatione minorum. *Fistulas*) Vitruuius lib. 8. de aquæ ductibus per canales struẽtiles, fistulas plumbeas, tubulos fictiles factis scribit, & Frontinus lib. 1. de aquæ ductibus etiam ad hanc rem plura scribit, quomodo per annos 441. Rom. contenti fuerunt v su aquarum, quas aut ex Tyberi, aut ex puteis, aut ex fontibus hauriebant. Tempore Neruæ in urbẽ influebant aquæ, Appia, Anio vetus, Martia, Tepula, Julia, Virgo, Augusta, Claudia, Anio nouus. *Cliui*) Hic pars cõfirmationis amissa est, & omnino tota peroratio, in qua præcipua vis orationis fuerat. Nam cùm Cicero in Oratore gloriatur in Rabirii causã se omni genere amplificationis exarsisse, certè flammæ alias indicat, quàm quæ in his reliquiis eluceant. Peroratio vehementes illos motus habuerat, quibus inuitis iudicibus orator tantam causã eriperet.



### Analyseos Rhetoricæ summa.

E tropis metonymia, ironia, metaphora plurima est, sinecdoche rarissima: è figuris verborum συμπλοκή, ἐπανάληψις, ἀναδίπλωσις, κλίμαξ, correctio: è figuris sententiarum, addubitatio, præteritio, reticentia, sustentatio nullæ sunt, cæteræ adhibentur. E figuris verborum, numerus in orbe concinnitatis gratissimus est: è figuris sententiarum deprecatio exordij ad flectendum, & licentia in reprimenda acclamatione ad terredum vehementer excellunt, sicut cõmunicatio ad vrgendũ.

### Analyseos Dialecticæ summa.

Hactenus in singulis huius orationis partibus genera dialecticæ & inuentionis in argumento, & dispositionis in syllogismo & methodo declarata sunt. Ac cùm tota inuentionis doctrina summis decẽ locis caussarũ, factorum, subiectorũ, adiunctorũ, dissentancorum, cõparatorũ nominum, tributionis, definitionis, testimonii cõtineatur, argumenti certè nullum genus est, excepto subiecti & nominis loco, in hac oratione non adhibitum. Etenim ex caussarum genere finis & efficiens aliquoties adhibetur: facta boni, & Consulis, & ciuis, & Rabirii, & Ciceronis, & Labieni, & aliorum multa sunt, adiuncta plurima, ex dissentaneis repugnantia sola sunt, comparata omnis quidẽ speciei, sed maiora, minora, dissimilia frequentissima, partitio & definitio locis aliquot, testimonium sæpissimè assumptũ. Atque ex omnibus argumentis plurimum venustatis habent comparata, roboris autem plenissima testimonia sunt. Hinc enim & prioris partis de quinque criminibus, & posterioris de armorum iure argumẽta sunt. Atque hæc inuentionis. Quod ad dispositionem singulorum argumentorum attinet, syllogismi sicut in omni ferè hominum sermone raro perfecte partibus omnibus conclusi sunt: attamen vbi res postulauit, omni genere, & simplici, & cõnexo, & disiuncto cõcluduntur. Frequentissimi autem connexi syllogismi sunt, sicut aliàs in omnibus ferè authoribus. Methodi laus, siue artẽ, siue prudentiã spectes, permagna est. Summa caussæ initio perspicuè posita est: Absoluẽdum esse Rabirium, quia Reipub. salus & authoritas id postularet. Distributio caussæ facta est: in priore parte leuora crimina posita sunt, &



digressio de popularitate attexta, ut inductis iam & placatis multitudinis animis, secundæ partis inuidia minueretur. Secunda ipsa pars summa vniuersæ ciuitatis auctoritate accuratissimè confirmata est. Ac si perorationem haberemus, cerneamus profectò in hac oratione Homericam aliquam Nestoris dispositionem, qua firmissima primo summoque loco, infirmissima medio locarentur. Exordium Romanæ maiestatis periculum miserabili periclitantis hominis sollicitudine propofuit. Refutatio leuiorum criminum diligentiam Oratoris ostendit. Contentio perduellionis grauissimam firmissimamque qualitatis defensionem conclusit. Quid peroratio? Nonne, quod de Pericle dictum est, tonare & fulgurare debuit, ut populum Rom. Rabirio insensum & iratum placaret, atque ita placaret, ut crucem & carnificem e campo tolleret, Rabirium liberaret, oratorem (quem sibilo paulò antè & strepitu interpellarat) admiraretur, & in cælo poneret?

FINIS.